[illegible]

A.
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS.

INDEX
LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI QVARTI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XII. M. APRILIS VSQVE AD D. XIV. M. AVGVSTI A. MDCCCLVIII.

HABEBVNTVR.

Haupt.
De versibus nonnullis Militis Gloriosae fabulae Plautinae

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Selegimus versus non nullos Militis gloriosi, fabulae Plautinae, de quibus hac scribendi occasione oblata disputaremus, non quod opinaremur postquam Fridericus Ritschelius emendandi officio magna ex parte rectissime functus est nos gravia admodum et praeclara adferre posse aut incertissimorum commentorum multitudinem nostris coniecturis augere vellemus, sed quia operae pretium facturi esse nobis videbamur si vel paucos versiculos eius poetae cuius fabulae ut a vitiis quibus oppletae sunt paullatim liberentur atque, si tamen fieri possit, tandem perpurgentur multorum hominum diligentia opus est, probabili emendatione restitueremus. praeterea putavimus iuvenes antiquarum litterarum studiosos (ad hos enim pertinere volumus quae semestrium scholarum enumerationi addere solemus neque existimamus nos sexto quoque mense proferre posse quae eruditorum hominum laudes consequantur) exemplis aliquot monendos esse ne vel eas Plauti fabulas quae Ritschelii maxime opera multo quam ceterae magis sunt emendatae certa arte perpolitas esse crederent, in quem errorem facile quis inducatur eis exemplaribus in quibus pleraque omnia ad Ritschelii voluntatem conformata sunt et aequabilis quaedam quasi consummatae emendationis species fallit. nam quod Ritschelius multa quae non potuit certa existimare, sed ut aliquo tamen modo poetae consuleret scriberetque quae saltem intellegi possent aut versiculorum numeros explerent commentus est, in ipsam Plautinae orationis seriem recepit, etsi vellemus eum veri nimis dissimilia a poetae verbis separasse, tamen institutam rationem persecutus est nullo veritatis detrimento; nam singulari plane diligentia ea quae in antiquis libris scripta sunt ubique commemoravit: verum incertissima omnia et quaedam falsa tamquam essent certissima repetere nobis quidem consilii esse videtur non prudentissimi. veluti in Milite v. 282 quod Ritschelius Bothium secutus scripsit

tute sci soli tibi:
mihi ne dixis: scire nolo

(libri enim *scis* habent), in eo non adquiescendum erat, sed quaerendum ecquo certo et testato exemplo demonstrari posset veterem aliquem non *scito* dixisse sed *sci:* interim nos monosyllabum *scias* ponemus.

Factum est autem non numquam ut praeclara Ritschelii divinatio quasi quodam splendore oculorum aciem praestringeret neque intellegeretur aliquid ei ad perfectam probabilitatem deesse. ex quo genere versiculus est Militis 54. ibi postquam Artotrogus ut stolido militi ingenti adsentatione placeret haec ridicule dixit,

quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,
ni hebes machaera foret, uno ictu occideras?,

respondet Pyrgopolinices

satietas belli quia erat, sivi viverent.

egregie plane Ritschelius librorum vitium sustulit: quorum Ambrosianus ei habere visus est *A . . . . . . A. SRELLIQVIAERANT*, reliqua tria exemplaria quibus praeter Ambrosianum solis recte utimur haec praebent, *At peditas telu quia erant*, unde olim facta sunt quae nullo modo probari possunt. animadvertendum est tamen in initio versus et in tribus illis exemplaribus *At* scriptum esse et in Ambrosiano *A* litteram Ritschelio adparuisse, id quod putamus non fuisse neglegendum. recte enim scribemus

at satias belli quia erat, sivi viverent.

aptissimum esse existimamus illud *at*. miles enim non adquiescit in ridicula parasiti adsentatione, sed pariter atque alias facit monstrum mendacii auget: 'immo' inquit 'quia bello satiatus eram vivere eos sivi: quodsi voluissem, vel hebeti machaera quingentos illos simul obtruncassem.'

Minus feliciter quam hic Ritschelio alius versiculi emendatio cessit, quem satis certa mutatione restituere posse nobis videmur. in altera alterius actus scena, dum Palaestrio adstat fraudesque quibus militem ludificet meditatur, Periplecomenus lepidissimis versibus varios servi multas cogitationes animo percurrentis gestus describit et tamquam commentario persequitur. finitur descriptio his versibus,

euge, euscheme hercle astitit sic dulice et comoedice.
numquam hodie quiescet, priusquam id quod petit perfecerit.
habet, opinor. age si quid agis: vigila, ne somno stude:
nisi quidem hic agitare mavis varius virgis vigilias.
tibi ego dico anheriatus uestis heus *te adloqui? Palaestrio,*
vigila inquam, expergiscere inquam: lucet hoc inquam.

in versu paene ultimo, qui totius fabulae est 217, dedimus depravata verba qualia in optimis libris leguntur. adscripserat Iosephus Scaliger *aneureta tu ne scis.* similiter Bergkius scribendum esse putavit, *tibi ego dico, heureta: tun scis me te adloqui?* meliora Ritschelius dedit, *tibi ego dico: an, heureta, me hauscis te adloqui?* nam *me hauscis* perbonum esse vereque Ritschelium addere putamus adscriptam *hauscis* formae interpretationem *nescis* progenuisse librorum corruptelam *uestis heus*. omnino illud vocabulum quod est *hauscio* ab oblivione egregie vin-

dicavit, et poterat eo, nisi fallimur, etiam saepius uti. veluti quod in Milite scripsit v. 1023 *Pedetemptim tu scis tractari solitas esse huiusmodi merces*, cum libri habeant *tu hec scis* vel *tu haec scis*, moneri videmur ut scribamus potius *Pedetemptim tu hauscis tractari solitas esse huius modi merces?* verum in illo de quo disputamus Militis versiculo alteram emendationis partem adprobare nequaquam possumus. nam ut taceamus illud *an heureta* factum esse nulla mutationis probabilitate, si in Pseudulo, postquam Charinus dixit *set istic Pseudulus novos mihist*, Calidorus haec respondet v. 700, *nimiumst mortalis graphicus: heureta is mihist. is mihi haec sese effecturum dixit, quae dixi tibi*, num propterea Plautum eodem vocabulo in Militis versu apte et cum aliquo lepore uti potuisse censebimus? quod enim Bergkius dicit, heureten adpellari Palaestrionem qui cogitabundus animum in omnes partes vertat quo consilium callide excogitatum reperiat, putabamus eum qui aliquid quaerit non dici inventorem. nequis autem propter illud *habet, opinor* existimet certo persuasum esse Periplecomeno invenisse Palaestrionem aliquas machinas, idem eundem mox multis versibus adhortatur ut aliquod calidum consilium reperiat. praeterea inventoris adpellatio et illa quae simul dicuntur *vigila, ne somno stude* et *vigila, inquam, expergiscere, inquam: lucet hoc, inquam* non nimis inter se congruunt. quocirca si *heureta* scriptum esset in libris, adquiescendum sane esset (neque enim pernegamus intellegi posse vocabulum si omnino ad Palaestrionis calliditatem refertur): nunc autem, cum in libris scriptum sit vocabulum litteris satis dissimile, reicimus illud et aptius ac facetius quaerimus. attendimus autem illud ipsum quod antea commemoravimus, Palaestrionem a Periplecomeno quasi e somno semel iterumque ac tertio excitari. hinc parata esse videtur versiculi emendatio. adstat Palaestrio quasi dormiens ac somnians. stantes autem plerosque equos dormire et notum est et a veteribus iocose commemoratum. Plauti enim haec sunt in Menaechmis v. 395, *certo haec canterino ritu mulier astans somniat*. itaque Militis versiculum leni mutatione ita emendamus,

tibi dico: eho, canterie, me hauscis te adloqui?

ego traiectum in *eho* mutare quam delere maluimus, cum interiectio hic aptissima esset: quamquam non multum repugnabimus siquis deleto pronomine scripserit *tibi dico, canterie*. haec commentati eramus cum mira illa respeximus quae Ritschelius Turnebum Lambinum alios protulisse addidit. et sunt sane mira: sed magis etiam mirum hoc est, quod simul cognovimus, de cantherio iam Boxhornium et Salmasium cogitasse, non immemores illos versiculi de Menaechmis, quamquam in emendandi conatu lapsi sunt, certissimaeque, ut putamus, emendationis significationem spretam esse prae vocabulo inutili atque inficeto.

Sed omnino saepius quam velles spreta sunt priorum interpretum inventa, partim probabiliora eis quae nuper excogitata sunt, partim necessaria. utamur exemplo eius colloquii quod Palaestrio cum Lucrione habet. ibi Palaestrio v. 840 ss. haec dicit,

eho,
an umquam prompsit antehac? responde, scelus.
atque ut tu scire possis, edico tibi,
si falsa dices uotio *excruciabere.*

ita depravatum vocabulum scriptum est in libris Camerarii, in Vrsini libro *uocio.* quae grammatici ut mendum tollerent excogitarunt, eorum alia probabilitatis specie carent, quale *loris* Camerarii est, aut *ocius,* in quod Italus nescio quis et Lipsius inciderunt, ut taceamus Pyladem *iam faxo* scripsisse, alia inepta sunt, veluti Palmerii *cocio,* alia denique inepta pariter atque a dicendi consuetudine abhorrentia, quale est prolatum a Bothio *nae otio.* non abhorret a sermonis legibus quod Ritschelius scripsit,

si falsa dices serio, excruciabere,

sed nimium distat ab eis litteris quae in libris perscriptae sunt, praeterea frigidissima est oratio. verum est quod Ioannes Fridericus Gronovius scribendum esse intellexit,

si falsa dices, Lucrio, excruciabere.

nam cum in initio huius scenae libri scripta habeant Palaestrionis et Lucrionis nomina et deinde eis quae Lucrio loquitur adscriptas has litteras LV, unde tandem acceptum esse putabimus hoc nomen nisi ex ipsa fabula? nam quod novicii poetae non numquam committunt, ut tragicis comicisve personis in indice fabulae nomina attribuant quae in ipsa fabula numquam pronuntiantur, id ab antiqua arte atque consuetudine plane alienum est. itaque cum Lucrionis nomen neque usquam alibi in hac fabula commemoretur neque sit alius versiculus qui illud recipiat, hic autem vocabulum adpareat quod intellegi nequeat atque emendandum sit necessario, neque Lucrio non adpelletur aptissime, nulla potest esse dubitatio quin Gronovius id ipsum quod verum est invenerit. accedit quod ne litterarum quidem mutatio inprobabilis est aut modum excedit.

Nam hoc sane etiam in his depravatissimis Plauti fabulis cavendum est, ne emendatio a vitiis nimia dissimilitudine remota sit. quocirca si Ritschelius, qui multa librorum vitia arte leni et quasi modesta egregie curavit, alias ea protulit quae quomodo ita ut factum esse putat depravari potuerint aut plane non intellegitur aut coniecturis explicandum est incertissimis, ineptus quidem esset siquis hoc magnopere reprehenderet (neque enim oblivisci par est accuratiorem emendandarum Plautinarum fabularum artem paene novam esse atque a Ritschelio eximie quidem demonstratam et communitam, sed ut paullatim tantum atque, ut antea diximus, multorum hominum industria perfici possit): verum illud vituperatione dignum est quod alii ne in eis quidem quae plane nullam habent veri similitudinem adsentiri nolunt. veluti in Milite v. 676, quasi tuta sint omnia, repetitur quod Ritschelius scripsit,

deum virtute satis est, unde accipiam te aput me comiter.

quis praeter *comiter*, quod verissime restitutum est, hanc versiculi conformationem probare poterit si libros contulerit? quorum vetus codex Camerarii haec habet, *Deum uirtute ē tasenunde hospitio accipiem apud me commitas*, neque distant decurtatus Camerarii liber et liber Vrsini, nisi quod ille *uirtute est* plene scriptum et in fine *apud me est comitas* habet, Vrsini codex *ospitio*. merito Ritschelius quod scripsit sine fiducia protulit: dicit enim se posuisse quod praestare intellegeret duobus aliis emendandi exemplis hisce, *Deum virtute est, hospitem unde accipiam aput me comiter, Deum virtute est, alios unde hospitio accipiam comiter.* praeterea addit non inprobabiliter Bernaysium scribendum conicere *Deum virtute est affatim unde.* eiusmodi ludi siquem forte delectant, certe probabilitatem non habent, sed arcendi sunt ab artis severitate. nobis primum innocens illud hospitii vocabulum conservandum esse videtur, praesertim cum apud Nonium p. 415 in melioribus libris pars versiculi ita scripta sit, *deum virtute est eundem hospitio accipiam.* deinde ex hac ipsa Nonii librorum scriptura id quod Plautus dixit nullo negotio recuperamus,

deum virtute est te unde hospitio accipiam apud me comiter.

unam addidimus litterulam: nam *unde* ipsi codices Plautini praebent.

Non maiore opera alia emendari possunt. eiusmodi est quod v. 809 libri habent, neque sententia integra neque plenis numeris,

meminero: set quid meminisse id refert ego te tamen.

hic Ritschelius scripsit

meminero: set quid meminisse id refert, ego nescio tamen.

itaque *te* in *nescio* mutavit. verendum est ne si talia artificia imitemur atque fortasse ad alios scriptores transferamus, artem in ludibrium vertamus ipsique e grammaticis fiamus praestigiatores. etsi enim in aperta sententiae necessitate ne acriora quidem vitiorum remedia refugimus, tamen hic nulla causa est cur Pleusiclem illo potius modo locutum esse existimemus quam alio quem leni mutatione efficimus. nam scripsisse Plautum putamus

meminero. set quid meminisse id referat rogo te tamen.

respondet Palaestrio

ego enim dicam tum quando usus poscet. interea tace;
ut tum quom etiam hic aget actutum partis defendas tuas.

nos si nostras partes haud male defendisse visi fuerimus, iucundum erit: interea nos quoque tacemus.

Scr. Kal. Ian.